



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Hvgo Abb. 29. April.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

ægrè per confertam multitudinem sellâ gestatus evaderet in suggestum. Dicta factis & prodigijs affirmavit, ut validissimâ persuadendî ratione. Valuit præcipuè adversus devios ab Ecclesiæ fide, vim contrariam paternæ perfidiæ sortitus. Fuit, cum à Deiparâ, quod olim à Servatore cognominis Apostolus audivit: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* Quo patrocinio constantiam tenuit usque ad sanguinis vitæque jacturam: etenim lethalibus aliquot illatis ab hæretico vulneribus, repetens Catholicæ veritatis à magistro instillatæ confessionem, unam mortem plurimis de sacrilegâ sectâ palmis repensavit, ad annum Christi M. CC. LII. Superinde conspectus est in cælo, Mariæ, cujus ope illuc evehctus erat, lateri adjunctus: quodque viventi jam concesserat Deus, post fata insigni miraculorum famâ illuxit. Tantum interest à teneris cum recto verum combibisse, quibus semel imbuta mens, ut vasa recentia, odorem primum servabit. *Ex Surio.*

*Nulle sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quàm est fides Catholica, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, Martyres coronat.* S. Aug, serm. 1. de Verb. Apost.

S. HVG O ABB. 29. April.

**H**VGONEM Ecclesiæ Burgundia, principe natum familiâ, protulit. Hic, adversis parentibus, eò perfugit, ubi splendorem à Majoribus tractum humilis familiæ consortio celaret. Capiti divinus spiritus, columbæ specie conspicuus imminere visus: unde vim ad mira perpetranda singula-

gularem hausisse persuasum. Nam & in secreto humanorum pectorum mentis obtutum figebat, & morbis cujuscunque generis medicinam de caelo parabat. Habebat Sanctius in vinculis Alphonsum fratrem Hispaniæ regem, cujus libertatem cum HVGGO supplex à fratre postulasset, D. Petrus cœnobitiæ cuiusdam indicavit, HVGONIS apud Deum preces momentum habuisse, Sanctioque deinde conspicuus Alphonfi dimittendi mandatum dedit. Episcopo linguæ ad petulantiam sermonis expeditæ vaticinatus est, post mortem tumente ac obfuso pustulis ore Manes ejus levitatis confessionem edituros. Spectro deinde effatum probante, indicto in dies septenos monachis silentio, constitutâ ex contrario medicinâ, flammis purgantibus reum exemit. Sub exitum Deipara cum D. Petro HVGONI adfuit. Eodemque tempore Fulgentius Abbas duos Angelos vidit in astra geminum lectulum molientes, quorum alterum HVGONI, alterum Anselmo Cantuariensi Pontifici dicerent stratum. Et nunc ambo quàm molliter cubant! ridentque nos, qui, ut S. Augustinus loquitur, volutari malumus in carne & sanguine. *Ex Hug. Clun.*

*Si de omni vel otioso verbo, quodcunque locuti fuerint homines, Deo sunt reddituri rationem in die judicij, quantum districtius de verbo mendaci, mordaci, injurioso, de elato vel lascivo, de adulatorio vel detractorio judicabuntur? S. Bern. l. de tripl. Cust.*

S. CATHARINA SENENSIS V.

29. Aprilis.

CATHARINA ut primû fari potuit, scilicet percreptans ad singulos gradus Angeli verbis MARIAM salutavit. Quid jam mirum, si his gradibus